

turribus , & propugnaculis nudatam , ac profunditate tantum aquarum tutam , feliciori successu adoratur . Sed incredibili prope hominum multitudine opere inchoato , immensisque in eo perficiendo exhaustis pecuniis , cum repente pluviae incidissent , aquarum insueta , ac vehementiori copia irriti conatus cessere .

Quapropter , neque vi , neque operibus Ticinum expugnari posse Galliarum rex expertus , obsidione civitatem premere , tum ad rerum omnium inopiam redactam compellere ad dditionem statuit . Quæ cum brevi temporis intervallo perfici non possent , duriorem , atque animo conceperat , urbis expugnationem Pontifex fore arbitratus , animi anceps , variis agitatus curis , quidnam potissimum tanta in re agendum esset , mente volutabat , totumque belli exitum ex Ticinensi oppugnatione pendere ratus , nihil undequaque tutum sibi decernere posse videbatur : defenso a Cæsareanis Ticino , Gallorum impetum retundi , vincique illos posse : urbe a Rege vi , aut dditione recepta , reliquam Insubrum ditionem statim in illius potestatem concessuram , ac reliquias Cæsareanorum exercitus brevi confectum iri . His flebat , ut in Clemente pristinus ille ardor , quo cum Rege amicitia , ac foedere jungi concupiverat , paulatim languesceret , & restingueretur , consiliumque a Ticinensis expugnationis exitu petendum censeret . Eam rem vocato ad se Reipublicæ oratori secreto aperuit . *Summa , inquit , prudentia hac tempestate , dum maximarum rerum momenta in ancipiti sunt , utendum , cunctatione opus esse , ne ex festinatis consiliis omnia in summa pericula prolabantur ; proinde sibi constitutum esse , nihil hoc rerum statu certi decernere ; si Ticinum Cæsareani tuerentur , foederi cum Rege ineundo moras nectere : contra si urbe Gallus potiatur , statim cum Rege societatem , foedusque inire , & a Cæsarib[us] Ducibus flagitare , ut penitus Insubrum imperium Gallo cederent ; abnuentibus , illico bellum illaturum : cupere , quæ mens Patrum bac in re sit , intelligere . Foscari literis , ut moris est , in Senatu perfectis , variæ fuere sententiæ ; nonnullis consilium Pontificis probabatur , rescribendumque censebant , Ticino expugnato , statim cum Rege societatem ineundam . Aloysio vero Mocenico consilii Sapienti , licet Ticinum in Regis pot-*